DE SYMPATHIA CONTAGIOSA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIX. M. FEBRUARII A. MDCCCXL.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Frid. Bernh. Theod. Wagner
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
W. FRANZ, MED. ET CHIR. DD.
E. SEYPPEL, MED. ET CHIR. CAND.
F. WAUBKE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Quae intra corpus sunt, non omnia possunt cognosci, ea tamen tentanda sunt, quam maxime fieri potest, si non certissima scientia, artificiosa saltem conjectura comprehendenda.

Galen., de art. med. c. 74

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

F. J. WAGNER,

CURSUS PUBLICI PRAEFECTO,

NEC NON

AVUNCULO CARISSIMO

CH. F. DETHLOFF,

REGI A CONSILIIS JUSTITIAE, DIRECTORI JUDICII PROVINCIALIS ET URBANI JAVORIACI ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Nil vivum plane ab aliis sejunctum et solum existere potest, nihil tam perfectum est, ut nihilo egeat, atque a nullo alio pendeat. Omnis organismus, quamvis sit maxime perfectus, arcte conjunctus est et cum natura universa, et cum aliis organismis, qui eodem genere ac ipse continentur. Omnia, quae hac ratione efficiuntur, phaenomena sympathiae nomine significamus. Haec igitur sympathia, quum naturam singulorum ab universo pendere demonstret, necesse est singulorum libertatem coërceat. Quo perfectior autem singulorum est natura, quo plura systemata in iis sunt opposita, eo minus eorum animus coërcetur, et universitatis potestate regitur, atque eo minora apparent illius sympathiae vestigia. Hominibus quoque, minus quam omnia animalia a natura universa pendentibus, sensus illi obscuri, qui, in bestiis instinctus nominati, sympathiam omnibus communem docent, non omnino sunt alieni, sed in corpore sano animum invitum dominari non valent, et ratione gubernantur, nisi forte morbi, integritatem et libertatem animi deprimentes, hominem per sympathiam cum re-

bus externis arctius conjungunt efficiuntque, ut nonnullae res insolitam in eum vim exserant.

Hac in commentatione igitur propositum mihi non est, scribere de sympathia, quae singulos cum universo conjungit, sed primum nonnulla commemorare de sympathia ea, quae quasi commune vinculum totum hominum genus amplectitur, et quidem de imitatione, quae pari auctoritate et ad prudentiam et stultitiam, et ad bonum malumque pertinet, tam virtutis laudes quam vitii mitigat improbitatem. Haec sit prima commentationis pars, quam sympathiae generalis nomine inscribamus, in altera autem agetur de sympathia morbosa, ad quam paululum explorandam hanc investigationem suscepimus. Sympathia generalis commemoranda est, quod in morbosam potest transire, et quia magnus phaenomenorum numerus ad utramque est referendus. Quum autem signum praecipuum utriusque sympathiae sit contagionis facultas, sine qua cogitari vix potest, commune sympathiae contagiosae nomen eas amplectitur. Contagium ipsum non est nisi psychicum, quod pro varia singulorum proclivitate modo facilius modo difficilius sensibus, praecipue oculis, excipitur, exceptum autem variis symptomatibus apparet.

SYMPATHIA GENERALIS.

Difficile est, cogitare hominem, qui, sympathiae jugo plane excusso, vitam degat suis cogitationibus

tantum et opinionibus gubernatam, quae vita omnibus in rebus alia foret, ac illa, quam ceteri homines, communi sympathiae vinculo juncti, degunt. Invenimus tamen homines, qui nonnullis certe in partibus a sympathia sunt alienati. Hos idiotas (lingua germanica »Sonderlinge«) appellamus, quorum magnum numerum Britanni offerunt. Tales homines a ceterorum ordine quasi secedunt, contraria aliis et cogitant, et faciunt, injucundum et molestum habent id, quod aliis gratum et suave videtur, dant operam rebus, quae ab aliis perversae habentur, ut risum movere et ludibrio haberi soleant, quia re vèra, etiamsi aequo animo eos observas, interdum insani et mente capti videntur. At concedendum est, talia nisi forti animo agi non posse, multo enim est facilius, idem facère, quod omnes facere vides, quam solum finem aliquem persequi. Quantum differunt ab his ii, quorum ingens copia, ut quaecunque vel visa vel audita cogitet faciatque, diligentissime studet! Hoc enim genus paene omnem animi humani libertatem despondet, et nullam fere habet voluntatem, sed a paucis regitur, qui ejus loco cogitant et agunt. Comparare eos cum simiis possumus, quae bestiae homini sunt simillimae. Sicut simias omnia, quae videant, diligentissime imitari notum est, ita homines notati hac certe ratione ab iis non multnm differunt. At his omissis videamus, qualis in variis hominibus sit sympathia. Primum in infantibus sympathia optime

apparet. Si plures infantes, uno loco viventes, observamus, mox videbimus, alterum, quod alter faciat, imitari, et minorem regi a majore. Libertatem animi alteri deesse, hic optime perspicuum est. Si infantes sunt aequales, et eadem animi conditione, hanc imitationem non invenimus. Inter homines adultos feminae praecipue ob minorem animi firmitatem sympathia reguntur. Hic primum oculis obvenit studium illud, formam et vestium colorem imitandi, qua in re Parisienses regunt, ita ut fere quaeque femina diligentissime exploret et imitetur illorum modum. At, ne viros nimiis laudibus efferre videamur, etiam inter eos sunt multi, qui eundem finem persequuntur. Quum autem hoc studium fere omnibus sit commune, singulis id negligere non licet, ne idiotae habeantur. Itaque quibusdam in rebus parvis moris erit, eas imitari.

Si omnes res stultas, soli tribuendas sympathiae, memorare vellemus, finem vix inveniremus. Nonnullas igitur tantummodo nominemus, ut illum nicotianae fumum hauriendi et pulveris sternutatorii usum, qui mos perversus omnium maxime fortasse divulgatus est. Aliud exemplum, quo demonstratur, quanta vis sit sympathiae, commemorabo, quod quotidie nostra in urbe et ipse observare poteris. Si quis in via hominibus plena subsistit, et oculos in rem aliquam conjicit, post breve tempus omnes praetereuntes eandem adspicient, et ille subsistens mox circumdabitur

hominibus, qui invito quasi animo, causae ignari, etiam subsistunt. Curiositas quidem magnam vim hic exercet, praetereuntes tamen tam subito contagio inficiuntur, ut, quid faciant, fere nesciant, et inviti alios imitentur. Ut stultae res valde sunt contagiosae, ita etiam vitia. Nam si quis saepe alios vitia committere videt, nec magna animi fortitudine est praeditus, etiamsi initio vehementer repugnat, tamen temporis spatio interjecto ad similia proripitur. Quod in lucrandi cupidine aliisque vitiis frequentissime cognosces. Ne autem genus humanum nimis accusemus, vitia stultitiis minus esse contagiosa, semperque contagioni dissidium quasi animi praecedere, est concedendum. Eodem modo, quo malum, bonum quoque contagione propagari potest, quod certe nulla laude dignum est, si minus consilio et ratione, quam imitatione fit. Quod videre potes, quum pecunia vel pauperibus detur, vel ad perficiendum bonum aliquod consilium colligatur. Sunt enim homines, qui solum dant ea causa, quia alios dedisse vident. Num quis virtutem eadem causa imitari possit, dubito, quia studio virtutis magna animi constantia et firmitas opus est, quam acquirere tantum potes, si, quanta sit ejus praestantia, animo intimo cognovisti.

Nihil autem contagiosius metu et audacia, inprimis si magnae hominum catervae, ut exercitibus, idem periculum imminet. Si enim complures, praecipue qui magna utuntur auctoritate, meticulosi apparent, citis-

sime timor divulgatur, et brevi tempore plerique animi per sympathiam contagiosam deprimuntur. Eodem modo audacia et alacritas unius mox ad omnes transit. Quum autem forti militum animo plerumque pugnarum exitus, a quibus populorum pendent sortes, decernantur, etiam hoc modo magna vis sympathiae contagiosae cognosci potest. Ex magno exemplorum numero adhuc opinionum contagionem commemorare liceat, qua animorum affectus, inprimis ad religionem et rem publicam pertinentes, maxime divulgati sunt, et populos tam antiquos quam recentes vehementissime turbarunt. Illi affectus initio voluntate accepti, brevi post plane inviti redduntur, imo animi morbos efficere possunt.

Ex omnibus supra memoratis satis apparere videtur, plerosque homines tantum instrumenta esse singularium quorundam, vanas quasi personas, quae non propria voluntate, sed quacunque re externa regantur; nec nisi solamen unicum restat, quod jam a Paracelso, aequalibus non satis cognito, affertur, initio saltem a voluntate et libertate contagionem cujuscunque opinionis penderet. Minima autem hominum pars tanta animi firmitate gaudet, ut ratione perlustret, quid facere, vel persuasum habere velit. Non contagione accipiunt opiniones, quibus omnes vinctos vident, sed, si cognoverunt meditatione, eas esse justas et veras, easdem sequuntur, neque invito animo ab iis proripiuntur. Quum autem plurimorum

judicium non sit tam acutum et exercitatum, ut omnia perpendere possint, nulla meditatione aliorum opiniones accipiunt, id quod est facillimum. Ex quibus intelligi potest, quomodo vulgus ad maximas perversitates seduci potuerit.

Cujus exempla permulta nobis populorum historiae praebent, et pro temporum et conditionum varietate pravitatem hominum et stultitiam demonstrant. Hic solum commemoremus nonnulla, quae aut ad religionem pertinent, ut haereticorum aliquorum fanatismum, exempli gratia anabaptistarum, insectationes eorum, qui aliam religionem colunt, aut quae sunt originis politicae, ut revolutionis Francogallicae saevitiem.

Ut perspicuum sit, quam facile cujusdam opinionis contagium per nonnulla saecula propagari possit, non erit ineptum, meminisse expeditionum illarum sacrarum, quibus Palaestinam Saracenorum imperio liberare studebant Christiani. Quamquam hoc pium propositum scilicet temporibus illis hominum animos summo studio summaque cupiditate implere potuit, tamen admirationem movet id, quod tantae hominum copiae, nec tempestates, nec proelia, nec famem, nec pestilentiam timentes, hoc contagio sunt infectae. Certum est, multos fuisse, qui has expeditiones pias et sanctas, et Christiano dignissimas habuerint, tamen puto, magnam hominum partem idem fecisse, quod sexcentos facere viderit. Recentiore tempore, quum populi magis res politicas, quam religionem curent, praeci-

pue politici animorum affectus contagione propagantur, ut illud novarum rerum studium, quod sub finem saeculi praeteriti per totam Galliam et fere omnes Europae populos divulgatum erat. Quamvis pauci certe cognoverint, qualis sit libertatis natura, plerique illas opiniones, quia ob novitatem valde erant contagiosae, facillime susceperunt.

Inutile et insanum est, difficillimam hanc rem, quae ad intimam mortalium naturam pertinet, ab omni parte exponere et demonstrare. Transeo igitur ad alteram hujus dissertationis partem strictiorem, quae agit de sympathia morbosa.

SYMPATHIA MORBOSA.

I. Sympathiam morbosam nominamus eam animi conditionem, qua vehemens sensuum impressio, inprimis conspectus symptomatum nervosorum, animo quasi vincula injicit, ut homo, tali modo affectus, visa imitari invitus cogatur. Jactura voluntatis liberae est signum sympathiae morbosae pathognomonicum. Sensuum impressio, ut ictus electricus, contagione propagatur. Non solum autem oculi sympathiae morbosae viam muniunt, verum etiam exempla docent, narrationem symptomatum nervosorum ipsam, inprimis spasmorum, tantam in animos erethisticorum hominum impressionem exseruisse, ut similia, quam audita, phaenomena morbosa in iis exstiterint. Tandem huc pertinent miri illi effectus magnetismi animalis, quo alter alterum, sive tactu manus, sive animi intentione tam manifesto dominatur ac cogit, ut invitus symptomatibus quibusdam afficiatur, quae nondum cognita, caliginosa nocte forsan in perpetuum obruentur.

II. Inter sympathiam generalem et morbosam phaenomena nonnulla medium locum tenentia nobis occurrunt. Mitto illa magna populorum pathemata, supra memorata, quae indolis vel politicae vel religiosae ex studio imitandi orta in jacturam liberae voluntatis, nec non in animi morbos transire possunt. Hoc tamen loco mihi nonnulla memoranda videntur, quae, originis partim physiologicae partim pathologicae, invito quidem animo nascuntur, nihilominus sympathiae morbosae adscribi possunt, quum animus inde non laboret. Cognitum est, cujusque oscitationem, suspirium, risum eos, qui adsint, ita afficere, ut eadem faciant. Scimus, multos, si vomentem videant, vomituritionibus vexari aut vomere, plerosque, si mingentem videant, ad mictum compelli. Has res explicare est physiologiae. Nonnulli enim musculorum ordines systematis animalis quadam proclivitate perpetua motuum invitorum utuntur, quum cerebri partes, e quibus illorum musculorum nervi oriuntur, magna sensibilitate praeditae facillime incitari possint. Huc omnes nervi respiratorii, nervo faciali non excepto, sunt numerandi. Quaeque cita mutatio animi conditionis in nervos ex medulla oblongata impressionem exserere eorumque reactionem evocare potest. Si sensorii nervi impressionem ad cerebrum propagarunt, et quaedam mutatio cerebri conditionis subsequitur, tunc statim illi nervi maxime sensibiles musculorum efficiunt reactionem. Tali modo contagio oscitationis, suspirii et visus explicari potest. Similis est vomitus et mictus sympathici origo. Sicut autem haec vulgaria phaenomena sunt minime periculosa, ita

impressio sensuum magni momenti apud erethisticos homines gravissima symptomata morbosa inducere valet. Corpora tali modo afficiuntur tremore artuum, horrore, convulsionibus, spasmis, tam tonicis, quam clonicis, sopore, catalepsi, aliis symptomatibus, quae vel certo tempore recurrunt, vel, si systema nervorum ingenti impressione omnino turbatum est, in aliquem animi morbum transire possunt.

III. Antequam autem haec sympathiae contagiosae phanomena graviora, quae praecipue aevo medio summum fastigium consecuta sunt, fusius exponamus, nonnulla afferamus, quibus elucet, sympathiam adhuc temporibus nostris vim magnam exserere.

Fere omnes nervorum morbi contagione propagari possunt, tamen ii tantum morbis illis afficiuntur, quorum systema nervorum magna sensibilitate excellit. Itaque praecipue infantibus est magna ad contagionem proclivitas. Quum omnia eorum organa nondum firmitate debita utantur, et systema nervorum admodum sensibile sit, causae leviores, quae in adultis sanis vix reactionem excitant, in illos saepe tantam vim exhibent, ut gravissime nervos afficiant. Praeter infantes maxime puellae, eaeque praecipue pubescentes, summum periculum subeunt, ne nervorum morbis inficiantur. Deinde hoc loco nominandi sunt viri hypochondriaci, feminae hystericae, et, ut paucis dicam, quicunque vitam degunt curis miseriisque afflictam, aut qui aliis morbis ad majorem debilitatis gradum pervenerunt. Postremo vero homines ad morbos nervosos opportuni redduntur nimio religionum exercendarum studio, quippe quod jam per

se, ac si medici oculis perspicias, hominum animos a lucida liberaque cogitandi ratione avertit libidinesque perniciosas maxime adjuvat, ita ut omnes sensus nimis excitentur et perturbentur. Neque vero his in rebus unquam animi vim culturaeque conditionem, quae ejusmodi hominibus insunt, omittere licet; utraque enim, si a corporis proclivitate plane discesseris, contagionem aut diminuit aut auget.

IV. Liceat mihi, hoc loco singularia exempla afferre, quibus, dicta esse vera, probem. Ac sunt quidem exempla satis multa, quibus constat, epilepsia et chorea Sti. Viti magnum infantum numerum infici posse, si multis occasio ejusmodi paroxysmos videndi detur, ut in scholis et orphanotropheis. Nuperrime Cel. Barez, in clinice disserens, exemplum quoddam memoravit, quod ante paucos annos in orphanotropheo hujus urbis aliquo accidit, eique, quod Harlemi in orphanotropheo accidisse Boerhaavius scribit, est simillimum. Puero aliquo subito chorea Sti. Viti correpto, eodem die duo alii in eundem morbum inciderunt. Postridie etiam plures infecti sunt, ita ut intra aliquot dies undecim pueri morbo implicarentur, totumque fere orphanotropheum saevo tumultu implerent. Remediis communibus sine fructu adhibitis, Cel. Barez eadem medendi ratione, qua Boerhaavius, usus est. Quum igitur summa verborum gravitate minatus esset, fore, ut omnes pueri aegroti, nisi proximo die plane sana salvaque mente essent, forcipibus candentibus, jam allatis, urerentur, evenit, ut omnes, uno illo, qui primum in morbum inciderat, excepto, sequenti die penitus essent sani.

V. De puellarum autem proclivitate nervosos morbos adsciscendi exemplum, et creditu et notatu dignum, profert Osiander (Entwicklungskranhk. in den Blüthenjahren des weibl. Geschlechts. Götting. 1817.). In quodam Angliae ergastulo puella alacris et lasciva alteri murem in sinum clam intulit. Extemplo haec in spasmos illapsa est, qui per viginti quatuor horas continuo ac vehementissime permanebant. Postridie tres aliae puellae eodem paroxysmo, tertio sex praeter illas, captae sunt. Qua quidem causa per totum ergastulum summus terror metusque exortus est. Priusquam Dr. Clare, quarto die advocatus, venit, tres aliae, nocteque sequente undecim homines, summatim viginti quatuor spasmis affecti erant. Inter quos viginti tres erant puellae, unus tantum vir, cujus vires puellis, quae in spasmos inciderant, coercendis plane erant exhaustae. Puellarum aegrotarum erant tres, quae, etsi ipsas illas spasticas non viderant, tamen audita rei descriptione in eandem morbi conditionem inciderant. Morbi symptomata erant anxietas praecordialis, dysphagia, dyspnoea, spasmi vehementissimi, qui quidem continuo a quarta horae parte ad quatuor et viginti horas perdurabant. Ac nonnullae per quatuor aut quinque homines continerentur necesse erat, ne crines evellerent, neve capita parietibus contunderent. Curatae sunt electricitate adhibita, animorum mitigatione, vino aliquo dato, saltationibusque institutis, ac sex diebus post omnes ad opera redierant. Singularis enim proclivitas ad nervorum morbos non exstitit,

nisi aëris puri motuumque liberorum inopiam existimes morbi causam juvantem.

VI. Aliud exemplum, quod initio hujus saeculi accidit, a Fritze descriptum est. (Hufeland's Journal für pract. Heilkunde. T. XII. 1801.) Puella annos viginti et unum nata, plane rudis, constitutione corporis robusta, aegrotam invisit in nosocomio caritatis Berolinensi, atque intrans vehementissimis correpta spasmis concidit. Statim sex aliae aegrotae, spasmis ejus conspectis, simili statu irretitae, et praeter has reliquae octo spasmis violentissimis correptae sunt. Quae omnes aegrotae annos erant natae sedecim ad viginti quinque, nullaque excepta laborabant una cardialgia, altera paralysi, tertia lethargo, quarta mentis compos spasmis, quinta tetano, sexta syncope, aliae aliis nervorum morbis. Inter paroxysmos spasmorum, tam clonicorum, quam tonicorum, sensuum efficacia erat prohibita, semperque eos antecedebat lassitudo artuum, somnus et stupor, dein una vel duabus horae minutis praeteritis spasmi incursabant. Qua in re notandum est, omnium aegrotarum mala nervosa, paralysin quoque, evanuisse, sublata vero nova molestia, rediisse. Post menses quatuor, duobus etiam aegrotarum custodibus similes paroxysmos perpessis, curatio opio adhibito prospere finita est.

VII. Factum, quod quidem rem non ita, ut priora, illustrat, sed eam ob causam grave est, quod probat, aliquem, se infectum morbo putantem, aegrotare posse, in clinice disserens Ill. Rust ante breve tempus exposuit. Complures ante annos comes ar-

chiatrorum cujusdam regis nosocomium Vindobonense visitavit. Ostendunt ei praeter alios aegrum hydrophobia laborantem. Medicus, quum aliorum, qui aegroti cavum oris inspiciunt, exemplo ductus propius accedat, sicut ceteri egesta hydrophobici saliva conspergitur, et putans, venenum hoc modo propagari posse, persuasum habuit, se hydrophobia imbutum esse. Amici postridie pallidum eum, neque mentis compotem inveniunt. Affirmat sese infectum esse, monens, ne quis accedat, dysphagiam se sentire, neque aquam videre posse. Illi irrident; aqua affertur. Aegrotus furit. Amici vero aquam in ejus faciem effundunt, quo facto, nullam quidem reactionem exoriri sentiens, dubitare incipit. Cogitur, ut una cum aliis in publicum prodeat; morbus sublatus est, quo, nisi tali ratione esset curatus, magnum in periculum aeger produci potuisset.

VIII. Miras autem partes sympathia morbosa ante aliquot decennia agebat, quum magnetismus animalis, ad summum perductus fastigium, floreret omniumque animos confundere videretur. Quanti vis magnetica sit aestimanda, tempus docuit, post paucos enim annos magnetismus, quum, plurima in fraude esse posita, viderent, fere omnino evanuerat. Attamen nonnulla afferam, quum certe aliqua sint vera, multaque a viris magnae auctoritatis enarrentur. (C. Kluge, Versuch einer Darstellung des animal. Magnetism. Berl. 1811.) Sed bene notandum est, in magnetismo non vehementem sensuum impressionem relationis sympatheticae esse, sed contactu ejus, qui vim magneticam communicat, atque ipsis ejus

animi intentionibus systema aliorum nervosum mirifice affici. Si igitur accuratius hanc rem consideramus, magnetismus animalis huc non pertinet, quum ejus natura definitioni, quam de sympathia morbosa dedimus, non plane accommodata sit. Sed quum vi magnetismi animalis alter et tactu et animi intentione symptomata alterius morbosa efficere possit, et quum contagium magnetismi sit psychicum, putavimus, hoc loco eum posse commemorari.

Kluge l. c. disserit ita: Saepissime fere omnis morbus ejus, qui vim magneticam communicat, in eum, qui magnetico somno est affectus, transfertur. Exempli gratia Gmelin vim magneticam communicavit tempore, quo diarrhoea laboravit, atque aeger eadem hora in alvum fusam, cum tenesmo et urente ani dolore conjunctam, incidit. Fischer inter experiendum aliquoties locum, quo musculus deltoideus ossi inseritur, vehementer pupugit, quo facto aegrotus eodem corporis loco postridie dolore acerbissimo duroque tumore laborabat.

Ea etiam, quae ejus, qui somnum magneticum evocat, animum permovent, ad aegrotum magnetice tractatum transferri possunt. Interdum sympathia inter eos, qui magnetica relatione sunt juncti, eo pervenit, ut etiam inter separatos remotosque perduret. Wienholt aegrotam, somno magnetico submissam, curabat, quae, quum ille aliquando morbo impeditus, per satis longum tempus eam frequentare non potuisset, non solum omnes molestias, quibus vim magneticam communicans laborabat, una simulque sentiebat, sed etiam, quum hic medicamento purgante

et postea vomitorio usus esset, eodem tempore alvo laxa vomituque affecta est. — Neque ignorari potest aegrotorum favor, quo alter alterum prosequitur, si eodem somni auctore utuntur, maximeque si eodem tempore somno magnetico indulgent. Vis viciniae aegrotarum ab H e i n e c k i o curatarum, tanta erat, ut, utraque somno magnetico vincta, neutra ex eo prius expergefieri posset, quam segregatae essent. Ac aegrotae, quas N a d l e r curabat, magnetico somno prope sedentes, communicabant altera cum altera vitia, quae iis inerant. Altera dysoecia laborans ad alteram auditus difficultatem, et altera, cujus somnus gravior et longior fuit, ad illam etiam longiorem firmioremque somnum transtulit.

Quaenam ex his vera sint, certo quidem dirimere non possumus, sed quum magnetismus animalis non plane queat negari, ac ejus natura ad sympathiam contagiosam pertineat, hoc loco ejus mentionem fecimus.

IX. Multo majoris autem momenti, quam in iis, quos retulimus, casibus, est sympathia morbosa, si in concioue aliqua hominum, qui nimio religionis cultui et superstitioni student, accidit aliquid, quod animos tam vehementer incitat, ut tristia illa et dira phaenomena, de quibus agimus, efficiantur. Enimvero, etsi temporis nostri homines ob culturam, qua sunt imbuti, summa laude celebrantur, etsi ratio superstitionem jamdiu devicit, tamen, si saecula proxime elapsa mente percurrimus, in res incidimus, quae obscuram illam, qua chorea Sti. Viti florebat, aetatem in memoriam revocant nostram.

Huc pertinent inprimis illa phaenomena, quae Ill. Hecker admirabili studio ingenioque descripsit in libro, translato in tres linguas, »die Tanzwuth, eine Volkskrankheit im Mittelalter, Berl. 1832.« ex quo nonnulla proferam. In ecclesia aliqua methodistarum in oppido Redruth vir quidam, ceteris sacra colentibus, alta voce clamavit: Quid mihi faciendum, ut fiam beatus? Quo audito, ceterorum multi eadem verba exclamantes, vehementibus corporis doloribus cruciati videbantur, et brevi temporis spatio circiter quatuor mille homines nervosis symptomatibus affecti erant.

Porro illud nervorum malum hic memorandum est, quod jam per centum annos in insulis Shetlandicis invenitur, — mirum exemplum, per quot annos morbus hujuscemodi continuo propagari possit. Causa ejus mulier fuit epileptica, quae forte in ecclesia insultu aliquo correpta erat.

Sed gravissimum contagii psychici exemplum secta illa praebet Francogallica, quam »les convulsionairs« vocant. Haec secta a. MDCCXXXI orta est, quo Lutetiae ad sepulcrum diaconi, Paris nominati, miracula fieri dicebantur.

Denique huc numeranda sunt illa phaenomena, quae sectae fanaticae apud fere omnes populos praebent, ex quibus praecipue vocandi sunt Anglici methodistae, inter quos saltatores, Jumpers nominati, qui duos fanaticos a. MDCCLX in Cornvallesia habent auctores, sunt maxime famosi. Quibus religio est, ut inter sacra convellantur exemploque saliendi a nonnullis dato, mox plurimi eos sequantur, ita ut hae Jumperorum conciones per aliquot horas orgia

saevissima magis, quam pietatis Christianae exercitationes adaequent. Omnes vero fines in America septentrionali methodistas quosdam transgredi dicunt, qui in coetibus sub dio institutis (camp-meetings) non solum ut convulsionarii Gallici et Jumperi Anglici furiunt, sed etiam majores nervorum et animi perturbationes assequuntur. Ipsos quoque infantes cogunt, ut hunc insanum furorem videant, qui et eo facilius inficiantur, et maxima ex parte per totam vitam vehementem aliquem et insanabilem vel nervorum vel animi morbum retinent.

X. In quibus omnibus, quae memorata sunt, originem sympathiae contagiosae demonstravimus, cujus etiam proclivitatem in singulis exemplis nullo modo non agnoscere licet. Methodistae ad sympathiam communibus quibusdam religionis opinionibus, communibusque ceremoniis apti redduntur. Concionatores eorum hominibus, oratione vehementer excitatis, aeternum cruciatum infernalem comminantur, tum vero, cum pios paene ad desperationem redegerint, gaudia et aeternam beatorum felicitatem gravissimis verbis describunt, ut denique, contrariis juxta positis, fere omnes mente capiantur. Quodvis irritamentum tum accedens plane omnia conturbat, atque ratio sanaque mens omnino exstinguuntur.

Similiter apud convulsionarios res sese habet, cujus sectae membra curiose et diligentissime contendunt, ut prae aliis maxima praebeant discrimina, quare omnis perversa ratio omnisque stulta animi contentio iis placet.

XI. Sicut vero singularum sectarum natura est varia, ita etiam varia sympathiae morbosae origine phaenomena nervosa plane inter se differunt.

Apud methodistas primum animi deliquium cum frigore et anxietate praecordiali observare licebat, mox vero aegroti angore quasi moribundorum affecti clamabant. Tum spasmi oculi musculorum, qui brevi post immobiles atque rigidi apparebant, tum faciei convulsiones, tum colli et trunci musculorum spasmi cum dyspnoea et singultu oriebantur. Nonnunquam post pauca temporis momenta jam vires erant exhaustae, plerumque autem paroxysmus multo diutius perdurabat. Multi corpora modo protendebant, modo supinabant, alii jubilabant, alii prosiliebant, donec plane fessi corruebant. Initio quidem fere omnes oscitabant, et morbi incremento tam sanguinis circuitus quam respiratio accelerabatur. Viribus exhaustis aegrotorum plerique animo linquebantur, et usque ad virium refectionem omni motu carebant. Morbus fuit simillimus choreae Sti. Viti, sed paroxysmi nonnunquam usque ad gradum incredibilem aucti sunt. Aegroti omnino nunquam mentis expertes, simulac auxilium offerebatur, in furorem eo majorem incidebant: quare plerumque negligebantur, nam vis naturae medicatrix semper crisin efficiebat. Post paroxysmum aegroti non raro aliis morbis affecti sunt, nonnulli melancholia, timoris et desperationis experte; et, memorabile dictu, omnis sexus, omnis aetas, et pueri, et senes, et viri, robusto corpore praediti, maxime vero puellae teneraeque mulieres, hoc contagioso nervorum morbo corripiebantur.

Alia symptomata apud convulsionarios observamus. Aegroti convulsionibus spasmisque clonicis affecti volvebantur in solo, sicut diabolo obsessi, et vexabantur angore ingenti, pulsuque tam irregulari quam accelerato. Mox etiam somnambulismus et alia phaenomena morbosa orta sunt. Multi una cum spasmis afficiebantur doloribus gravissimis, quos sociorum auxilio mitigari necesse erat, quare et ipsi et adjuvantes lingua Gallica »grands secours« nominati sunt. Quod auxilium, omnino rude, cum illo mire convenit, quo saltatores Sti. Joannis et tarantismo affecti curabantur. Socii enim varias corporis partes feriebant et percutiebant lapidibus, malleis, gladiis et aliis instrumentis: cujus rei memorabilia exempla narrant sectae mirae defensores, quibus videlicet clare demonstratur, dolorem illum rudem hoc in morbo a natura vehementer postulari. Nonnunquam spasmis affecti, ut pisces prosilientes, vibrabantur, quos postea praesertim mulieres et puellae imitabantur, omnino variis saltibus atque mirificis corporis agitationibus excellentes. Nonnullae exempli gratia assim, ventri impositum, multos homines conscendere jubebant, et quum hoc in morbo horribili summus dolor voluptatis cujusdam sensum excitet, tam spasmo affectas, quae forcipibus mammas velli curabant, quam alias in caput provolutas videre licebat, quem situm per longius tempus quam sani sustinebant.

Alii autem in saltatoribus, quos Jumpers vocant, alii in methodistis Americae septentrionalis, alii in insulis Shetlandicis sunt morbi illi nervosi, qui sympathia contagiosa propagantur. Attamen longum est,

haec phaenomena singulatim describere omnia: quare nihil addamus, nisi, illos morbos sectarum proprietate atque omnino variis moribus et cultu immutari.

Adhuc memorari potest morbus quidam nervorum, quem nostro tempore in Abyssinia, maxime vero in provincia Tigre observare licet. Hoc malum, a quodam Pearce bene descriptum, quasi furor saltatorius, quem »Tigretier« vocant, simillimum est choreae Sti. Joannis, quae aetate media florebat. Feminae saepius quam viri afficiuntur, musice saltationesque summa sunt remedia. Abyssinorum superstitio, similis fere illius, quae media aetate populos ceperat, maxime ad hos morbos reddit aptos.

XII. Praecipuis igitur sympathiae contagiosae phaenomenis, quae recentiore aetate inveniuntur, brevi demonstratis, denique mediae aetatis morbos nervorum contagiosos enarrabimus, qui ad summum fastigium pervenerunt. Apud veteres tales morbos exstitisse, non certum est. Religiones quidem eorum animos minus aptos ad eos reddiderunt, et quamvis eorum superstitiones, maxime saeculo secundo p. Chr. n., incredibilia ceperint incrementa, tamen ob mancam illorum temporum notitiam modo nonnulla sympathiae contagiosae vestigia invenimus, ut Bacchi agmina, pompas per Graeciam ambulantes, alia. Gravissima autem exempla, quae huc pertinent, media aetas praebet (Hecker l. c.). Saeculo duodecimo phaenomena narrantur, quae miseram et tristem populorum illius temporis conditionem perspicue declarant. Jure quidem mediam aetatem superstitionis maximae tempus vocamus, quo animi obscuris illis sacerdotii doctrinis plane capti

erant. Omnes artes et disciplinae quiescebant, et veterum opera, thesauri quasi inutiles, in monasteriis erant sepulta. Sicut plerique clerici, illius temporis literati, erant rudes literarum, ita etiam populi tristissima ignorantia premebantur. Rationi vincula injecta erant, fides animos prorsus ceperat, et crimen habebatur, res naturales explicare, quae aut a numine maximo aut a daemonibus infernalibus proficisci putabantur. Itaque demum Paracelsus initio saeculi decimi sexti, reformator ille magnus medicae artis, audere potuit, Sti. Viti choreae medicinam facere, eamque e monstrorum numero auferre, atque ejus causas ex humano corpore deducere. De hujus morbi contagio, per sympathiam propagato, Paracelsus suo modo ingeniose magnaque peritia docet, sensuum impressiones, quae cor, gaudii affectuumque sedem, excitent, rationem devincere, et venia initio data ad rerum visarum imitationem maxima vi cogere. (Theophrasti Bomb. Paracelsi von Hohenheym, 7. Buch in der Arznei. Von den Krankheiten, die der Vernunft berauben. Tract. I. Opera. Strassburg 1616.)

XIII. Pro ingenio et cultu, quo media aetas utebatur, chorea Sti. Joannis et Sti. Viti in Germania, et tarantismus in Italia, exceptis nonnullis levioribus, gravissima sympathiae contagiosae exempla nobis offerunt. Incommodis et terroribus mortis nigrae, qua Germania atrociter lacerata erat, vix superatis, chorea Sti. Joannis, aut Sti. Viti anno MCCCLXXIV. primum Aquisgrani orta est. Amentia curiosa, divinam hominum naturam eludens, animos arripuit. Convulsiones, diutius quam ducentos

per annos aequalium admirationem commoventes, mirifice corpora cruciabant. Aegroti, se invicem manibus tenentes, tam in domibus quam in plataeis, et in ecclesiis, furore incensi, per multas horas saltibus Baccheis chorisabant, donec omnino fessi et exhausti concidebant. Quo morbo daemoniaco mox etiam vicini Belgae et Galli infecti sunt. Quocunque loco saltatores apparuerunt, fiebat concursus populi, ut spectaculo horribili delectaretur. Itaque evenit, ut morbi causa, cujus originem daemoniacam nemo dubitabat, ubique pompae et missae administrarentur, nec non cantus ecclesiastici canerentur. Magna diligentia et animorum attentione, qua aegroti observabantur, laborantium copia immense accrevit. Catervae ipsae otiosorum et nebulonum, gestus et spasmos aegrotorum bene imitantium, vicos et oppida, tam victum quam res portentosas quaerentes, pervagabantur, et morbum tetrum, ut pestilentiam, propagabant. Symptomata morbi erant haec. Sub finem choreae, si saltatores fessi ceciderant, de magna dyspnoea querebantur, ut moribundi suspirabant, et modo pannis linteis circa medium ventrem fortiter adstrictis vires receperunt. Quae constrictiones tympanitae causa, semper post spasmos orientis, necessariae erant, saepe autem aegroti per amicos simplici modo ictibus pugni et calcis ad ventrem applicatis curabantur. Inter choream hallucinationibus vexabantur, imaginatione daemones quosdam offerente, quorum nomina aspera voce appellabant. Gravior morbus incepit spasmis epilepticis, omnino autem variis temporibus et locis pervarie mutabatur. Prae-

cipue tamen tympanitae ratio est habenda, ad morbi originem illustrandam. Ex saeculi decimi quarti statu tristi, quo in Germania nusquam possessionum incolumitas inveniebatur, quo licentia proterva, corrupti mores et vis inculta ubique dominabatur, quo miseria et inopia nusquam aberat, intelligere licet, desperationem populorum in voluptatibus rudibus et furiosis, et in portentis et prodigiis solamen quoddam quaesivisse. Quibus ex rebus jure colligi potest, diem festum Sti. Joannis a. MCCCLXXIV, ferocissime celebratum, malum jam dudum existens evocasse, quum animi insolenter excitati essent, et inopia et miseria obtinuissent summum fastigium. Ipse venter, fame et malo victu infirmus, apud plurimos anxiis molestiis occupabatur, quarum tympanites erat symptoma summum.

XIV. Anno MCCCCXVIII. Argentorati incolas chorea Sti. Viti corripuit. Adhuc eadem amentia populus utebatur. Omnino saeculis sequentibus saepe hic morbus exortus est, sed neque tam gravis fuit, neque tot homines invasit. Initio saeculi decimi sexti Paracelsus, sub finem ejusdem Schenck a Graffenberg morbum viderunt et descripserunt. Tympanites non amplius observatus est. Tamen cujusque generis, aetatis et stirpis homines, maxime vitam sedentariam agentes, morbo affecti sunt. Nervi intense incitati solum vehementibus involuntariis membrorum motibus mitigari potuerunt. Paroxysmi fuerunt tam hoc in morbo, quam in omnibus morbis nervosis, necessariae crises status morbosi, qui in animo aegroto exoriens nervos motorios, et prioribus

temporibus plexus abdominalium nervorum corripuit. Quum in morbis nervosis auditus impressiones majore vi, quam visus et sensus, animos afficiant, non mirum est, paroxysmos musice, et auctos et mitigatos esse. Denique memorari debet, aegrotos conspectu coloris rubri ita furore abreptos esse, ut in homines, vestibus rubris indutos, impetum facerent.

Bellum, quod triginta per annos Germaniam vexavit, alias hominum excitavit cogitationes, neque iis permisit, ut superstitionibus, hujus morbi causae, faverent.

XV. Eodem tempore, quo Germania chorea Sti. Viti vexabatur, Italiam similis morbus pervasit, tarantismus quidem, qui in Apulia incipiens per omnes ejus terrae regiones migravit, et ut gravis aegrotatio per nonnulla saecula populo immorabatur. Secundum Nicolaum Perotti, hujus morbi primum scriptorem, morsus tarantulae, cujusdam araneae, fuit causa tarantismi. Tamen jam Gariopontus, medicus Salernitanus, describit quendam animi morbum, anteneasmum, qui tarantismo est simillimus. Morsus araneae certe non sola fuit talis morbi causa, sed potius conditiones populorum tristes illius temporis. Partim Christianismus Romanus mediae aetatis pompis, poenitentia publica, ritibus permultis, sine dubio magis quam hodie animos opportunos reddidit ad morbos nervosos, partim praecipue Italia illo tempore diris pestibus cruciabatur, tam celeriter se excipientibus, ut populi exhausti vix mentem colligere possent. Omnium animi nimis concitabantur, et irritabiles hominum anxiorum sensus permise-

runt, ut ex causis levibus orirentur magni terrores. Ita factum est, ut morsus araneae venenatae, aut potius timor sequelarum, tum magnum morbum nervosum procrearet, qui sympathia contagiosa propagatus pedetentim graviora symptomata excitaret, et longius procedens majora caperet incrementa. Traditum est, laesos vel diem supremum obiisse, vel animo laborantes tristem vitam egisse, alios perdidisse visum, alios auditum, alios loquelam, omnes autem consueta incitamenta non percepisse. Sola musice fuit remedium ad morbum tum mitigandum, tum sanandum. Aegroti simulac sonum tibiae vel citharae audierunt, oculos aperuerunt, artus ad cantus rhythmum moverunt, et paulatim magis magisque saltationem accelerarunt. Ubicunque talis aeger adfuit, spectatorum magna copia accurrit, et saltantem summo cum gaudio adspexit. Itaque occasione data contagium ex uno animo ad alterum transiit. Mulieres primum hoc modo affectae sunt. Aegri, quum criticum per motus orientem crederent sudorem, qui ex corpore educeret venenum, cujus autem si particula aliqua relinqueretur, morbum rediturum putarent, quotannis ad saltationes revertebantur, itaque sanatio tarantatorum semper erat causa, ut alii morbo tristi inficerentur.

XVI. Si omnia, quae ex singulis sympathiae contagiosae patet phaenomenis, colligamus, quamvis sympathiae permultis gradibus nec non varietatibus in hominum natura se ostendat, ejus rationes et conditiones hae apparent:

1. In sympathia tam generali quam morbosa proclivitas quaedam hominum est statuenda.

Proclivitas ad sympathiam generalem omnibus hominibus tribui potest, et variat secundum singulorum ingenium. Pueri, puellae et mulieres, nec non homines cultus minoris et ingenii parvi magis ad sympathiam, quam alii vergunt.

In sympathia morbosa distinguenda est proclivitas quaedam corporis et animi. Pueri, puellae et mulieres, sicut viri, tam sensibili nervorum systemate praediti, quam magnis laboribus, gravibus morbis, miseria et fame exhausti, facilius quam homines validi et fortes sympathia afficiuntur. Proclivitas animi pendet ex indolis cultu neglecto, superstitione, et omnino tristibus animi affectionibus, timore, curis, sollicitudine.

2. Proclivitate perpensa, causarum moventium ratio est habenda, quibus, si magni sunt momenti, sympathiae contagiosae phaenomena majora et graviora, quam e contrario, efficiuntur.

XVII. Postremo quod ad curationem attinet, jam in singulis exemplis commemoratis nonnulla de hac re locuti sumus. Sympathia contagiosa solum sanatur, si proclivitas animi et causae moventes tolli possunt. Singuli paroxysmi, sicut vehementibus animi impressionibus provocantur, ita remediis magnis, et quidem corporis crisibus, vehementissimis artuum motibus institutis, et animorum mitigatione, et comminationibus, et musice, fortasse etiam magnetismo et electricitate sanantur. Medicamentis fere nulla fides est habenda. —

VITA.

Fridericus Bernhardus Theodorus Wagner, evangelicae addictus confessioni, natus sum anno hujus saeculi decimo sexto, die XVII. m. Octbr., Pasewalkiae, oppido Pomeraniae, patre Friderico, cursus publici praefecto, matre Guilelma, e gente Dethloff, quibus parentibus adhuc vivis et integris summopere laetor. Schola patriae urbis relicta, gymnasium Sedinense, quod directore Hasselbach floret, per quinque annos et dimidium frequentavi. Testimonio maturitatis instructus mense Majo anni MDCCCXXXVI. voluntarius civibus instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus, post duos annos autem inter cives legitimos receptus sum, et per quadriennium hisce interfui scholis:

Ill. Hecker de encyclopaedia medica, historia medicinae et de Celsi libris; Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice, psychologia; Ill. Link de toxicologia, historia naturali; Ill. Kunth de botanice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, de anatomia organorum sensuum; Ill. Müller de anatomia et universa et comparata, de physiologia; in arte cadavera rite secandi Ill. Müller et Schlemm mihi duces fuere.

Praeterea has frequentavi scholas: Beat. Hufeland de pathologia et therapia generali; Ill. Osann de materia medica, de fontibus medicatis, de auxiliis in repentinis vitae periculis ferendis; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Casper de medicina forensi; Cel. Froriep de arte formulas medicas concinnandi, de anatomia chirurgica; Ill. Kluge de arte fascias rite imponendi, de ossibus luxatis et fractis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Ill. Jüngken de chirurgia speciali, de ophthalmiatrice.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico-forensibus interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum: Barez, Dieffenbach, de Graefe, Jüngken, Kluge, Rust, Wagner, Wolff jun.

Omnibus his viris summe colendis gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

THESES.

1. Digitalis et acidum hydrocyanicum in morbis valvularum cordis plus nocent, quam prosunt.
2. Febris idiopathica non existit.
3. Signa certa graviditatis verae usque ad partum non sunt.
4. Scirrhus ex inflammatione nunquam oritur.
5. Foramine cordis ovali non clauso vita tam periclitatur, quam servari potest.
6. Tarantismi origo a morsu tarantularum non ducenda est.